

22

D. F. G.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
**ARGUMENTUM**  
**QUODDAM**  
**A P R I O R I,**  
PRO  
**DEMONSTRANDA DEI**  
**EXISTENTIA, EXHIBENS,**

QUAM

CONSENSU AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOËNSI  
P R Æ S I D E  
MAXIME REVERENDO atq; CELEBERRIMO VIRO

**D.N. C A R O L O**  
**MESTERTON.**

S. S. THEOL. DOCT. LOGICES & METAPHYSICES PROFESS.  
REG. & ORD.

*PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ MODESTE SUBJICIT*  
**HENRICUS H. WALLENBORG,**  
OSTROBOTNIENSIS.

Die XVIII. Decembris, Anni MDCCLIX.

L. H. Q. A. M. S.

---

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland, JACOB MERCKELL.

S:Æ R:Æ MAJ:tis  
 MAXIME FIDEI VIRO  
 REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO  
**D:NO CAROLO FRID.**  
**MENNANDER,**  
 S. S. Theologiæ DOCTORI  
 CONSUMMATISSIMO,  
 Diœceseos Aboënsis EPISCOPO  
 EMINENTISSIMO,  
 Regiæ ibid. Academiae PRO-CANCELLARIO  
 MAGNIFICENTISSIMO,  
 Vener. Consist. Ecclesiastici PRÆSIDI  
 GRAVISSIMO,  
 Scholarum per Diœcesin EPHORO  
 ADCURATISSIMO,  
 Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO  
 MAXIME INCLÿTO,  
 MÆCENATI SUMMO.

*Indubium est, quod quantum quantum discipline ad gentis ali-  
 cujus & reipublica felicitatem conferunt, tantum quoque ad  
 fructuosam harum culturam faciat eorum, quorum inspectioni &  
 tutela demandata sunt benevolus in litteras affectus. Felices idcir-  
 co sunt reipublica, felices scientiarum domus, qua de eruditio & e-  
 ruditione*

ruditioni faventibus rectoribus atque tutoribus sibi gratulari pos-  
 sunt. In his viri docti ad disciplinas ornandas atque augendas in-  
 citantur & pro meritis remunerantur; juvenis utilibus cognitioni-  
 nibus imbuitur multoque redditur alacrior ad adyta scientiarum  
 perferenda; verbo: in his ad communem utilitatem litterae flori-  
 ae virent. Felix itaque etiam Academia nostra Auratica, imo, eo  
 nomine ter felix, quod in TE, Eminentissime PRÆSUL, PRO-  
 CANCELLARIUM devenerari illi contigerit. In TE, qui om-  
 nes scientiarum campos felicissime exspatiatus, in toto erudito or-  
 be clares, imo, Orionis instar emicas; in TE, qui bonas omnes  
 artes & scientias sollicitè fovet, blande nutrit & quovis modo  
 commendat, earumque progressus promovet; in TE, qui littera-  
 rum cultores singulari TUA gratia in apricum producis,  
 TUA auctoritate tueris, imo, quod sperare non au-  
 dent, novum illis exoptatumque constituis fatum. Est  
 propensus hic TUUS in litteras earumque alumnos affectus,  
 qui effecit, ut incomum huncce juvenilis ingenii fatum, in pignus  
 aevotissimi animi TIBI dicere, TUOQUE Magnificentissimo NO-  
 MINE munire sustineam. Adspicias illum fronte qua soles, hoc  
 est placida, & me meamque fortunam gratiosa TUÆ tutelæ  
 commendatum habeas; certo persuasus, nullum unquam tempus  
 memoriam tanta gratia pio meo pectore obliteraturum fore. Vi-  
 vas denique MÆCENAS MAXIME, diu & felicissime. Vivas  
 donec Patria commodis Ecclesie & Rei litteraria incrementis &  
 bonorum omnium votis abunde satis feceris; sic TUAM ætatem  
 non annis sed seculis metiemur.

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

devotissimus cliens  
 HENRICUS WALLENBORG.

*VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo,*

**D: NO MAG. HENR. JOH.  
CARLBORG,**

Præposito & Pastori Ecclesiarum, quæ DEO in Närpes, Kors-  
näs, Portom & Östermarck colliguntur, longe meritissimo.

**AVO MATERNO OPTIMO, CARISSIMO.**

**B**Albutit. Lingva.  
Calamus. Vacillat.

Verba. Me. Verba. Facientem. Deficiunt.  
Dum.

Cumulum. Beneficiorum. Tuorum.

Benignissime. In. Me. Cumulatorum.

Animo. Intuens.

Eum. Vel. Leviter. Prædicare. Volo.

Et.

Quid. Volo.

Ea. Beneficia. Incomitis. Meis. Encomiis. Comere.

Quæ. Ipsa.

Pro. Se. Loqvuntur. Dum. Tacent.

Ut. Tamen. Quodammodo.

Quod. Ipsa. Natura. Ipsæ. Natales. Exposcunt.

Gratissimus. Animus. Grates. Perfolveret.

En. Accipis. In. Perennantis. Venerationis. Tesseram.

Munus. Hoc. Chartaceum. Studiorum. Meorum. Primitias.

Argumen-

Argumento. Grave. Expositione. Leve. Et. Si. Nulla. Alia  
Re. Tamen. Pitate. Offerentis. Commendabile.  
Maturiora. Cum. Maturescit. Ingenium. Oblaturi.  
De. Cetero.

Ex. Imo. Pectore. Summum. Numen. Imploro.  
Ut. Parcant. TIBI. Parca. Nemini. Penitus. Parcentes. In:  
Sera. Lustra.

Ut. Floreas. Vigeas. Vegetes. Undique. Felix.  
Ut. Venerandam. TUAM. Canitiem. Diutissime. Nobis.  
Venerari. Liceat.

Et. Tandem. Facis. Concedens.  
Ut. In Coeli. Libertatis. Et. Coelicolarum. Eas. Amplexus;

AVI OPTIMI

*humillimus nepos*  
HENRICUS WALLENBORG.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

D: NO MAG. HENRICO  
WALLENBORG,


Pastori Ecclesiae, quae DEO in Lillekyro colligitur vigilan-  
tissimo, adcuratissimoque,

PARENTI OPTIMO, INDULGENTISSIMO.

**O**fficia erga TE, PARENS INDULGENTISSIME, quae mihi natales imponunt, magna sunt, quae autem TUAE bonitati curaque plus quam paterna debentur omnem excedunt mensuram. Totus in aere TUO sum. Cuncta fere post Deum TIBI debeo. Per omne quidem vitae meae tempus jucundissimum duxi, pro acceptis beneficiis gratiam referre & erga ea gratum declarare animum, quod TUIS ad virtutem adhortationibus adscribendum est. TUA autem tanta beneficia, quibus verbis celebrem? qua ratione gratiam digne pro iis referam? utrumque longe supra meas positum est vires. Accipe itaque, PARENS OPTIME, voluntatem pro actu; & primitias has studiorum meorum, ut munificentia TUAE sunt testes, ita sempiterna & ardentissima venerationis erga TE meae, pignora esse sinas. Summus Rerum Arbitrator, largissimus ille collatorum beneficiorum remunerator, defectum meum abundantissima suppleat benedictione, TEQUE in Patria, Ecclesia, nostrumque bonum & gaudium, in seros usque mortalitatis terminos incolumem felicissimumque praestet.

PARENTIS INDULGENTISSIMI

Filius obedientissimus  
HENRICUS WALLENBORG.



§. I.

**A** Deo plana quidem per se est veritas, atque si ad nosmetipsos resque extra nos positas vel leviter advertimus, facilis perspectu, existere Ens quoddam supremum totius hujus universi auctorem, ut sine prolixo quodam argumentorum apparatu, omnium vindicare sibi posset assensum. Sed quanta semper ex se mala non procrearunt perversa educatio, dissolutum consortium, denique præjudicia? imo, produxere hæc quoque abortus hominum, qui veritatem hanc sibi adeo nativam non modo volentes obscurarunt sed & plane inverunt inficias, qui contra benignissimum suum Conservatorem rebelles facti, Eum non modo a gubernaculis mundi removerunt, sed & plane denegarunt. Et quid mirum? in contemptu Numinis, variique generis vitiorum impunitate ab ineunte ætate educati, primo veritatis hujus cæteroquin dulcissimæ atque utilissimæ, fastidio capiuntur; augent hoc dein pravi sodales impiorumque librorum lectio; accedit denique plenaria  
cor-

nem, in limine demonstrandam se offert propositio: possibile est ens perfectissimum. Sua quidem hæc veritas juste dispicientibus luce radiat, & præterea passim apud Metaphysicos & Prænotionum Theologicarum Auctores demonstrata occurrit, quare inutile forte videretur eam hic loci ulterius evolvere; tamen ut ordinem servemus, illam lemmatis instar breviter adferemus; Idea realitatis absolutæ nullam involvit contradictionem, (Cel. Doct. Wall. S. M. §. 745.) realitates igitur omnes absolutæ sunt possibiles, sunt vero etiam realitates quæ tales (per def.) nimir. quoniam omnem compossibilem defectum secludunt non ut defectus ulterioris, sed ut realitates considerari possunt; ideoque sibi mutuo non repugnant, (C. D. Wall. S. M. §. 750. coll. cum §§. 741. & 742.) prædicata autem quæ sibi mutuo non repugnant eidem enti inesse possunt, igitur etiam realitates omnes absolutæ eidem enti inesse possunt, atque hinc possibile est ens cui insint realitates omnes absolutæ. Cum autem illud Entis perfectissimi titulo insigniri soleat, in aprico est, possibile esse Ens perfectissimum. Vel sic: Prædicatum  $\tau_0$  ens & prædicatum  $\tau_0$  possidere realitates omnes absolutas sibi mutuo non repugnant, (per mox demonstr. cfr. C. D. Wall. S. M. §. 750) notio igitur ens possidens absolutas omnes realitates non est contradictoria; cum autem a non repugnantia ideæ ad non repugnantiam rei quam indigitat concludere validum sit, ens possidens realitates omnes



absolutas non esse contradictorium patet, est itaque possibile.

Omnes suos hic Athei nervos intendunt, quo ens ejusmodi contradictorium esse evincant atque impossibile, non sine causa forte timentes, quod si ad possibilitatem ejus consentiant, nolentes volentes ad ejus quoque existentiam consentire adigantur. Quam futilia autem & imbellia eorum contra hanc rem sint objectamenta dudum palam fecerunt viri eruditi, quare ea hic tangere e re essenon videtur. Contra cum res ita ferant, lemmata quædam, quorum in laudato argumento futurus est usus, huic loco inserere placet. *Possibile est ens quoddam, quod gaudet possibilitate realites omnes absolutas possidendi.* Si enim nullum possibile esset ens, quod gauderet possibilitate realites omnes abs. possidendi, nullum quoque ens esse posset perfectissimum, ideoque ens perfectissimum non esset possibile, quod cum prius demonstratis repugnat, allatæ propositionis elucet veritas. *Possibile est ens quoddam, quod absolute necessarium esse potest.* Possibile enim est ens, quod gaudet possibilitate realitates omnes abs. possidendi, existentia autem absolute necessaria in numerum realitatum recte refertur, quod ex harum cum illa collatione optime patet, gaudet igitur quoque idem ens possibilitate absolutam necessitatem possidendi & proinde esse potest ens absolute necessarium; possibile itaque est ens, quod abs. necessarium esse potest. *Omnia prædicata, quæ enti quocumque absolute necessarium esse potest, competere poterunt, gaudebunt possibilitate esse abs. necessariis.* Quoniam enim ens illud possibile, quod abs. necessarium esse potest, certum quoddam est ens, ideo determinata sua gaudet essentia, quidquid autem enti cuidam competere poterit, id essentia ejus conveniet necesse est, jam prædicata, quæ abs. necessaria esse possunt, ei conveniunt; prædicata autem ejusmodi, quæ abs. necessaria esse possunt & quæ abs. necessaria esse non possunt sibi invicena

sint opposita, opposita autem eidem rei qua tali competere nequeant; per se patet prædicata ejusmodi, quæ abs. necessaria esse non possunt essentiæ entis hujus qua talis non convenire, ideoque ipsi huic enti, qua tali competere non posse. Omnia igitur, quæ enti, quod abs. necessarium esse potest, quatenus ut tale spectatur, competere poterunt prædicata, gaudebunt possibilitate esse abs. necessariis.

### §. III.

**S**uccedit, ut animo perlustremus, an evicta Entis perfectissimi possibilitate, exinde ad ejus existentiam rite concludi possit, vel breviter an possibile sit a priori existentiam Dei demonstrare. Negarunt hoc multi viri eruditi, affirmarunt haud pauciores. Utraque pars in suæ sententiæ robur argumenta haud contemnenda attulit. Pace tamen celeberrimorum & clarissimorum virorum, qui contra methodi hujus possibilitatem pugnarunt, affirmare audeo, argumenta eorum tanti non esse, ut id, quod cum iis evincere voluerint, revera evincant. Palmaria namque si colligantur, ad hæc duo recidunt I:mo apparere satis exinde, quod impossibile sit a possibilitate Entis Perfectissimi concludere ad ejus existentiam, quod omnia ea argumenta, quibus hæc ab illa deduci solet, infirma & fallaciis referta sint; & II:do argumenta a possibilitate ejus desumpta idealem solum modo existentiam, minime vero actualem inferre. Sed quis non videt infirmo has argumentationes

tiones nisi talo? si enim vel maxime concederemus argumenta, quæ communiter pro demonstranda Dei existentia ab ipsius possibilitate adferri solent, concludendi vitiis laborare, inde tamen neutiquam sequitur vel legitime inferri potest, impossibile esse illam ab hac demonstrare, vel nullum concludendi vitiis immune argumentum excogitari posse, quo illa ab hac deducatur; incompletas enim ejusmodi inductiones & sanior Logica & experientia communis illa rerum magistra, fallaces ut plurimum esse testatur, ad minimum non ejusmodi, unde assertionis alicujus veritas vel falsitas dijudicari queat. Et quod ad posteriorem objectionem attinet; verum quidem est haud pauca quæ pro demonstranda existentia Dei a priori adducuntur ratiocinia, aliud nil quam idealem existentiam inferre, & quidem nonnulla satis aperte; sic memet quoddam vidisse reminiscor, in hunc fere modum concludens: Concipio mihi ens Perfectissimum, concipere igitur oportet possidere illud realitatis omnes abs. sed existentia necessaria est realitas absoluta, ergo etiam eam possidebit; cum tamen sic colligere oportuisset ergo etiam concipere debeo illud eam possidere. Etsi autem hæc ita sint, nihilo tamen minus in aprico est, neque hoc argumentum ad methodi a priori impossibilitatem adstruendam valere; gratis enim, qui illo utuntur assumunt, ratiocinia a priori non nisi idealem existentiam inferre posse, quod ipsum probandum illis est; quum autem hoc neque probaverunt neque probare possunt, licet quidam etiam id ipsum moliti sint

facile perspicitur neque hoc possibilitati hujus methodi quidquam infringere. Ex adverso variis probari posset argumentis, possibile esse ab Entis perfectissimi possibilitate existentiam ejus demonstrare; juvabit unum adduxisse. Adparet per superius demonstrata, possibile esse ens quod abs. necessarium esse potest; constat quoque per experientiam possibilia esse entia quæ non possunt esse abs. necessaria, quum autem hæ duæ entis species sibi mutuo sint oppositæ in eas divisionis regulis conformiter recte dispesci potest, ens igitur recte dividitur in ens quod abs. necessarium esse potest & quod abs. necessarium esse non potest; quod autem abs. necessarium esse non potest & tamen est ens, id contingens esse potest. Jam si ens quoddam posterioris ordinis nobis repræsentamus, deprehendimus, nos ab ejus possibilitate ad ejus existentiam ideo concludere non posse quoniam competere ei potest possibilitas non existendi, h. e. quoniam contingens esse potest; adeo ut de eo quoniam tale est, concludi nequeat ab ejus possibilitate ad existentiam ipsius; cumque quod uni oppositorum qua tali repugnat, id alteri conveniet, ideo a possibilis quod abs. necessarium esse potest, possibilitate ad ejus existentiam potest concludi.

Primus quantum constat, qui a notione entis Perfectissimi demonstrari posse ejus existentiam affirmavit, fuit Anshelmus Laudunensis Abælardi præceptor, vir subtilis interque Hermeneuticos sat inde notus, quod glossam uti vocant libris biblicis apposuerit, varios hic sectatores nactus est variosque item, oppugnatores, qui longas inter se & acres pro more seculi hæc de re libesalebant. Magni dehinc vi-

ri sententiæ Anselmi licet papulum mutata subscripserunt. Thomas, nobile illud Romanæ ecclesiæ lumen monuit sequi existentiam ex idea Entis Perfectissimi modo prius probeatur hujus ideæ possibilitas. Cartesius, tum in Princip. Philos. tum in Meditationibus Metaph. adfirmat ex idea entis absolute perfecti recte deduci ejus existentiam. Leibnizius probavit judicium Thomæ, contendens ex notione entis Perfectissimi sequi ejus existentiam ostensa ideæ illius possibilitate. Idem Cudworthus, idem illustris Wolffius & qui eum sequuntur Büfingerus, Carpovius, Schubertus alique, idem etjam celebratissimus Metaphysicus nostras D. Doct. Wallerius, probant.

## §. IV.

Ostensis sic leviter, quod Ens perfectissimum sit possibile, & quod ex ejus possibilitate ad existentiam Ipsius recte concludere non repugnet, jam hanc ab illa revera deducere adgrediemur. *Existit Deus.* Quoniam enim possibile est ens, quod gaudet possibilitate absolutas omnes realitates possidendi, abs. quoque ~~necessitate~~ possidendi possibilitate gaudet, possibile est Ei igitur esse Ens abs. necessarium, ideoque omnia prædicata, quæ Ei convenire poterunt, gaudebunt possibilitate esse abs. necessariis; sed non existentia abs. necessaria nulli enti comperere potest (sic enim existentia ejus esse posset abs. impossibilis, quod absurdum), ergo neque huic Enti comperere potest, sed neque non existentia non abs. necessaria comperere Ei potest, sic namque conveniret

*necessa  
floridi*

niret ipsi prædicatum quoddam, quod abs. necessarium esse non posset, quod superius demonstratis repugnat, ergo neque non existentia abs. necessaria, neque non existentia non abs. necessaria competere Ei possunt, ideoque cum præter has duas non existentiae species, non detur alia, nulla non existentia competere Ei potest, sicque existentia Ei competit adeoque existit Ens illud possibile, quod gaudet possibilitate abs. omnes realitates possidendi. Possidet eas quoque revera, si enim non possideret & possidere tamen posset, posset quoque esse aliter quam est, ideoque competere Ei posset contingentia, prædicatum quod abs. necessarium esse non potest, quod cum per prius demonstrata implicat, patet ens illud existens, quod abs. omnes realitates possidere potest, eas revera possidere, adeoque existit Ens, quod abs. omnes realitates possidet, veneramur autem hoc Ens Dei nomine, ideo existit Deus.

Habes L. B. promissum argumentum, leve forsitan tale tamen, quale a tenuibus nostris viribus & ingenio minus secundo expectari poterit. Id certe adfirmare andemus, nos, quantum in nobis situm fuit providisse, ne fallacius cui imponeremus nubemque ut ajunt pro Junone amplectendum præberemus; inprimis vero id cauti sumus, ne quod contra argumenta pro existentia Dei, a priori adferri solita admoneri sivevit, Ens perfectissimum tacite tanquam existens supponeremus, quod attenti ut speramus lectores satis perspicient. Quæ vero dein realitates istæ absolutæ sint, quæ ipsi competunt per experientiam justis ratiociniis stipatam nosse continget. Nimir. examinamus affectionem aliquam

aliquam, quam positivam, non vero privativam vel affectionis defectum esse certo scimus, an concipere ipsam sine contradictione liceat absque ullius compossibilis defectu; si licet per definitionem realitatis abs. patet, posse eam esse realitatem abs. ideoque Enti illi perfectissimo competere posse & revera etiam competere, quoniam aliqui contingentia laudato Enti conveniret. Crasse vel hinc eos errare elucet, qui Ens perfectissimum cum hoc universo confundunt atque hoc ipsum illud esse statuunt; quoniam enim hoc universum varia ratione sit modificabile accidentia admittit, Ens vero Perfectissimum nulla accidentia admittit, quoniam omnia quæ Ipsi competere poterunt prædicata, gaudebunt possibilitate esse abs. necessariis, ideo hoc universum Ens illud Perfectissimum esse nequit, sed aliud extra illud existat ens necesse est, in quod criteria, quæ requiruntur, quadrabunt.

§. V.

**V**idebimur cui autem fortassis, supervacaneum, in eo suscepisse laborem, quod cum tot jam a priori pro existentia Dei existent argumenta nos unum adhuc adferre voluerimus; & utinam sic esset! quoniam vero, quod cum tædio fatendum plurima eorum, saltim quæ mihi inspicere licuit, vel apertis concludendi vitiis laborant, vel adeo sunt contorta atque difficilia, ut legentem sensus destituat, nexus amittatur, sicque conclusionis a suis præmissis dependentia abstrusissima sit; quoniam hæc inquam ita se habent, minime supervacaneum esse censendum est, illa ipsa cum fieri possit firmioribus & faciliori-

cilioribus ratiociniis locupletare, & ideo cum supra-  
 allatum argumentum sua se perspicuitate commen-  
 dans mihi obveniret, non inutile nec injucundum me  
 facturum existimavi, cum illud proponerem; præterea  
 etjam, cum certo constet in omnibus fere veritati-  
 bus adstruendis aliud ratiocinium hujus aliud alterius  
 captui magis esse adcommodatum, quando tan-  
 ti momenti demonstranda est veritas abs re esse non  
 videtur, eam pluribus argumentis stabilivisse. No-  
 vi quidem optime, argumenta a priori pro Dei exi-  
 stentia a plurimis pro meris haberi subtilitatibus  
 & ad Atheos debeilandos plane incongrua credi.  
 Cum autem id sine sufficienti causa fiat, curan-  
 dum non est, quicumque enim rectius judicare  
 didicerunt, illa juxta suum pondus non vero jux-  
 ta præconceptas aliquas opiniones metiuntur, pro-  
 be gnari, omne ratiocinium undecunque demum  
 desumptum sit, in quo conclusum ab aliis notis &  
 concessis principiis juxta consequentiarum serie de-  
 ducitur, quemvis dicta & nexum adsequentem  
 mérito convincere posse, ejusque sibi consensum  
 extorquere. Multo majori jure, pro inidoneis ad  
 Atheos emendandos haberi debent ejusmodi scri-  
 pta & argumenta, quæ crebris in eos conviciis  
 acerbisque facetiis replentur; quare mirari con-  
 venit, multos etiam viros eruditos, quæ ad A-  
 theorum correctionem exararunt scripta, his fre-  
 quenter adeo interpolasse. Eo enim quid effece-  
 runt aliud, quam ut, isti rationes eorum ne  
 inspicere quidem, multo minus digne secum pen-  
 dere



dere curaverint, & si denique qui, scripta eorum  
 legerint, animo id fecere ira, vindictæ cupidine  
 aliisque præjudiciis obruto nihilque aliud quam  
 paria paribus referre moliti sunt. E contrario, si  
 placide contra eos disputetur & moderate, non  
 plane in perditis habendum est cuiquam ipsorum  
 saniora persuadendi. Qui enim eorum ra-  
 tionibus cesscrunt, tali modo pro  
 latis omni experientia te-  
 ste cesserunt.

